

vidistis si quam hic errantem forte sororum  
succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis  
aut spumantis apri cursum clamore prementem.'

Sic Venus, et Veneris contra sic filius orsus: 325  
'nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,  
o — quam te memorem virgo? namque haud tibi  
voltus

mortalis nec vox hominem sonat — o dea certe:  
an Phoebi soror an nympharum sanguinis una?  
sis felix nostrumque leves quaecumque laborem, 330  
et, quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris  
iactemur, doceas; ignari hominumque locorumque  
erramus vento huc vastis et fluctibus acti.  
multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.'

Tum Venus: 'haud equidem tali me dignor honore; 335  
virginibus Tyriis mos est gestare pharetram  
purpureoque alte suras vincire cothurno.

Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;  
sed fines Libyci, genus intractabile bello.

imperium Dido Tyria regit urbe profecta, 340  
germanum fugiens. longa est iniuria, longae  
ambages; sed summa sequar fastigia rerum.

huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri  
Phoenicum et magno miserae dilectus amore,  
cui pater intactam dederat primisque iugarat 345  
ominibus. sed regna Tyri germanus habebat  
Pygmalion, scelere ante alios inmanior omnis.  
quos inter medios venit furor: ille Sychaeum

inpius ante aras atque auri caecus amore  
clam ferro incautum superat, securus amorum 350  
germanae; factumque diu celavit; et aegram  
multa malus simulans vana spe lusit amantem.

ipsa sed in somnis inhumati venit imago  
coniugis: ora modis attollens pallida miris  
cruelis aras traiectaque pectora ferro  
nudavit caecumque domus scelus omne retexit.  
tum celerare fugam patriaeque excedere suadet,

355